



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Regia Via Crvcis

Haeften, Benedictus van

Antverpiæ, 1635

Cap. VI. Exemplo Christi Crvx ritè ferenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46093](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46093)

CAPVT VI.

Exemplo Christi CRVCX ritè ferenda.

Gloria magna est, sequi Dominum.

Eccli. 23, 38.

Lux ego sum mundi, mea post vestigia curre:

Qui sequitur me, non ambulat in tenebris. Ioan. 8, 12.



ANDEM aliquando tot conui-
cta rationibus, tot incitata ex-
hortationibus Staurophila ma-
nus dedit, & CRVCX ritè ge-
stare occœpit, alacri animo

Christo dicens: *Præcedat Dominus meus an-* Gen. 33,
cillam suam, & ego sequar paulatim vestigia 14.

eius. Factum bene, inquiebat Christus, &
nunc sapiſ, ô filia. Ego namque descendi de Thomas
caelo pro tuâ salute: ſuſcepi tuas misérias, non à Kemp.
neceſſitate, ſed charitate trahente: ut patien- lib. 3. de
tiam diſceres, & temporales misérias non in- Imit. Chri-
dignanter ferres. Tum Staurophila: Domi- ſti cap. 18.

ne, quia tu patiens fuiſti in vitâ tuâ, in hoc
maximè implendo præceptum Patris tui, di-
gnum eſt ut & ego miſella peccatrix ſecun-
dum voluntatem tuam patienter ſuſtineam: &
donec ipſe volueris, onus corruptibilis vitæ &
CRVCIS huius pro ſalute meâ portem. Nam et ſe-

L 2

one-

onerosa sentitur præsens CRVX, facta est tu-
men iam per gratiam tuam valdè meritoria
atque exemplo tuo tolerabilior & charior. Quod
quantas tibi gratias teneor referre, quòd VIA
rectam & bonam dignatus es mihi & cunctis
fidelibus ad æternum regnum tuum ostendere.
nam vita tua, VIA nostra: & per sanctam pa-
tientiam ambulamus ad te, qui es corona no-
stra. Nisi tu nos præcessisses & docuisses, quomodo
sequi curaret? Heu, quanti longè retroq; ma-
nerent, nisi tua præclara exempla inspicerent.

Ioan. 13,
15.

Ita est, inquiebat Christus, idè enim
exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego
feci, ita & vos faciatis. Nauigantibus ad fidem
aliquod dirigendus est cursus. Pictores, ut
imaginem exprimant, prototypon intuentur.
vis ritè ferre CRUCEM, quem, nisi me baiu-
lantem mihi CRUCEM, proponere potes-
t. huc spectauit Apostolus meus, cum diceret

Hebr. 12, 1.

Per patientiam curramus ad propositum nobis
certamen, aspicientes in auctorem fidei & con-
summatorem IESVM.

Cant. 1, 4 2

O Domine, inquiebat Staurophila, hoc
cum perpendo, vnà cum dilecta Sulamitide
dicere lubet: Fasciculus myrrhæ dilectus meus
mihi inter ubera mea commorabitur. Vtrumque
enim mihi es, Domine IESV, & speculum pa-
tientiae, & meritum: vtrumque fortiter pro-
uocat, & vehementer accendit. Propterea semper

Laurent.
Iust. in
Liono vitæ
de Patient.
cap. 5.

per habebote, Domine, non retrò in humeris, sed antè, præ oculis: ne portans te, ô dilecte mi, fasciculum myrrhæ, & non odorans, onus premat, & odor non erigat. Videns enim tuas angustias, Domine, meas leuius portabo.

Eia sic age, inquiebat Christus, Gloria enim magna est sequi Dominum, longitudo enim die-
Eccli. 23, 38.

rum assumetur ab eo. Nam quod pro magno inter septem Sapientum dicta celebratur, SEQVERE DEVM; hoc verè perficiunt serui mei, qui per REGIAM VIAM CRVCIS me sequuntur. Hi profectò non meritum tantum, sed magnam etiam apud Deum assequuntur dignitatem. Exhilarata his verbis Staurophila, In quo, obsecro, aiebat, hæc dignitas sita? In eo, respòdebat Christus, quod digni Deo efficiantur. An non legisti, quid de iustis Scriptura dicat: *Visi sunt oculis insipientium mori, & aestimata est afflictio exitus illorum, coram hominibus tormenta passi sunt?* sed quid coram Deo? Deus, inquit, tentauit eos, & inuenit illos DIGNOS SE. Quàm felix CRVX! quàm beata afflictio, quæ dignum facit Deo! *Is solùm miser est, qui in afflictione constitutus nimium tristatur, & Deo non se dignum præbet.* Ideoque clarissimè edixi, *Qui non accipit CRVCEM suam, & sequitur me, non est me dignus.*
Nicetas Choniat. Matth. 10, 38.

Admirans verò Staurophila, exclamabat:

L 3

Quid

Eccle. 2,
12.

Quid est homo, ut sequi possit Regem factorem suum? Mihi sanè adhærere IESV meo boni est; illum sequi opto, illi vniri concupisco.

Leo Ser. 2.
de Resur-
rect.

Nam si mundana sapientia ita in suis gloria- tur erroribus, ut quem sibi quisque ducem ele- gerit, eius opiniones & mores, atq; omnia insti- tuta sectetur: quæ mihi erit communio nomi- ni tui Christe, nisi ut tibi inseparabiliter vniam.

Ioan. 14, 6.

qui es, ut ipse insinuasti, VIA, & veritas, & vita? VIA videlicet conuersationis sanctæ, ve- ritas doctrinæ, & vita beatitudinis sempiternæ.

Leo Serm.
16 de Pas-
sione.

Rectè tu illud quidem, subiiciebat Chri- stus; ego enim sum VIA, & per me venitur ad me. Per Christum enim ad Christum ter- dit, qui per semitam patientiæ & humilitatis incedit. In quo planè itinere nec æstus decet laboris, nec nubes tristitiæ, nec procella formi- dinis: ibi sunt insidiæ iniquorum, persecutio- nes infidelium, mine potentium, contumeliæ superborum; quæ ego Dominus & Rex gloria idcirco omnia percurri, ut inter presentis vitæ pericu- la, non tam optandum esset hominibus declinan- do ista effugere, quàm tolerando superare.

Lætata sum in his quæ dicta sunt mihi, in- quiebat Staurophila, & miror sanè, inueniri quàm plurimos, qui te recusent sequi. Magis etiam miraberis, aiebat Christus, si attendas quid damni patiatur qui noluerint sequi. Ego enim caput sum hominum, illi autè mea mem- bra.

bra. Recusat porro esse in corpore, qui odium August.
mundi, CRUCEM & tribulationes non vult Sermon. 47.
sustinere cum capite: nec meretur congaude- de Sanctis.
re in patriâ, qui recusat condolere in VIA.

Quidni, inquiebat Staurophila, caput Bernard.
suum membra sequantur, si bona suscepimus Sermon. I. in
ab hoc capite, mala autem quare non sustinea- cap. Ieiun.
mus? Non est magnum si compatitur mem-
brum capiti, cum quo est glorificandum. Fe-
lix omnino membrum, quod huic adhaeserit
per omnia capiti, & sequetur illud quocumque

ierit! Causa patiendi capiti fuit, ut corpori August. in
præberet exemplum; tu enim, Domine, vo- Pf. 34.
luntate passus es, nos necessitate: tu miseratione,
nos conditione. Tua proinde voluntaria
passio, nostra est necessaria consolatio, ut quan-
do talia forte perpetimur, intueamur caput
nostrum, ut eius exemplo commoniti, dicamus:

Si ille, quid nos? Si, inquam, tu, qui pecca- 1. Pet. 2,
tum non fecisti, nec est inuentus dolus in ore 22.

tuo, tot ludibria, tot alapas, tot flagella, tot
spinarum aculeos perpeffus es; si faucibus cruen-
tatisque, humeris CRUCEM baiulasti, quid nos?

Vtinam Domine totus mihi figaris in corde, qui August. lib.
totus pro me fixus es in CRUCE! Vtinam non de Sanctâ
recedat ab oculis meis imago Domini mei virgin.

CRUCEM baiulantis, ut alacriter quoque meam
discam baiulare! Deotus enim miles non sen- Lilius l. 2,
tit sua, cum benigni Ducis intuetur vulnera. de cad. 1.

Id quod in presenti est momentaneum et
leue tribulationis nostræ, æternum gloria
pondus operatur in nobis. 2 Cor. 4, 17.



Quid CRVCIS abscindis pondus tolerabile? CRVCIS
Que grauis, illa breuis; que diuturna, leuis.